



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,  
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae  
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

**Carleton, Thomas Compton**

**Antverpiæ, M.DC.XCVII.**

Disput. XL. De Motu, Actione, & Passione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

VII. *Dari pos- sunt dura- tiones à parte antè in infinitum.* Quarta conclusio: dari possunt plures & plures durationes e parte antè in infinitum. Hæc conclusio patet in exemplo proximè posito Angeli ab æterno creati, & ad hanc usque horam conservati, hic enim plures & plures à parte antè habuisset durationes horarias in infinitum. Et de facto concedere hoc omnes debent, qui negationes admittunt à rebus possibili- bus distinctas.

VIII. *Argumentum contra durationes à parte antè in infinitum.* Contra hanc conclusionem hoc argumentum pro- ponit P. Arriaga citatus n. 17. quod ait esse insolubile. In hac durationum infinitarum collectione, inquit, una esse debet prima: cum enim continuâ se- rie sese invicem sequantur, unam dari necesse est quæ reliquas omnes antecedit, & sicut postrema harum durationum, nempe hodierna, habet quod se- quatur, & non præcedat, intermediæ quod sequan- tur simul & præcedant, ita una à parte antè esse de- bet, quæ præcedat, & non sequatur. Hoc autem di- ci nequit, si enim inter eas detur prima, ergo dabi- tur initium æternitatis, quod implicat, Angelus enim, si fuerit ab æterno, non potest dici habuisse initium sui, seu incepisse.

IX. *Solvitur prædictum argumentum.* Hoc argumentum, quamvis in aliis de æternita- te philosophandi modis vim habeat, in meâ tamen sententiâ non urget. Dico itaque, in infinitâ illâ du- rationum collectione, etiam si concedamus fuisse ali-

quam primam, nulla tamen ex iis fuit ab æterno, utpote ante quas omnes præcesserit duratio indivi- sibilis correspondens instanti æternitatis, quam ex- plicui totâ sectione præcedente, & hic n. 6. Deinde dico, etiam si prima ex illis durationibus fuisset ab æterno, nihil per hoc derogari naturæ, & perfectio- ni æternitatis: quando enim philosophi negant rem ab æterno productam incipere, solum negant eam incipere *intrinsecè*, seu, ut verum sit dicere, *nunc est, immediate antè non fuit*: &c. De quo latius dixi sect. præcedente, n. 12.

Ex dictis infero, posse divinitus dari generationes ab æterno ad hunc usque diem sine interruptione continuatas, ut suprà de durationibus dixi n. 6. & 7. Dico itaque, si Deus ab æterno creet ignem, & si- mul approximatum ei materiam dispositam, ignis ab æterno in materiâ illâ producet alium ignem. De- inde, si in singulis partibus subsequenter, diebus scilicet, horis, aut etiam instantibus temporis ima- ginarij, apponatur successivè alia & alia materia, novi semper & novi sine intermissione producentur ignes usque in diem præsentem.

Difficultatibus quæ circa infinitum in hoc philo- sophandi modo occurrere possent, satisfiet postea d. 46. dum disputabitur de infinito.

## DISPUTATIO XL.

### De Motu, Actione, & Passione.

#### SECTIO PRIMA.

##### Definitio, & terminus Motus.

I. *Motus est actus entis in potentia, prout in po- tentia.* Missis variis motus definitionibus quæ in idem recidunt, Aristoteles l. 3. c. 2. & cum eo Peripatetici omnes hanc statuunt motus de- finitionem: *Motus est actus entis in potentia, prout in po- tentia.* Quæ definitio non motum solum, seu altera- tionem successivam complectitur, quâ scilicet qua- litas aliqua successivè in subiecto producit, ut vo- lunt Conimb. l. 3. c. 1. q. 1. art. 1. sed alterationem etiam instantaneam.

II. *Explicatur definitio motus su- præ posita.* Motus itaque est ratio formalis qua potentia acti- va & passiva, in quantum potentia activa & passiva sunt, prodeunt in actum, & exercent suam virtu- tem. Sensus proinde definitionis est, *motus est actus entis in potentia*, id est, entis in actu primo potentis, *prout in potentia*, id est, in quantum habet potentiam activam & passivam, seu ut motiva est & mobilis, vel in quantum est potens movere & moveri. Non tamen est necessarium ad motum, ut sit eadem res quæ habet potentiam activam & passivam, cujus motus sit actus & exercitium, nam actio quâ ignis, vel calor producit calorem in ligno, est verè motus, & actus seu exercitium potentie activæ ignis, & passiva ligni: licet aliquando potentia activa & passiva in eandem rem concurrant, ut contingit in actibus internis.

III. *Actio ex conceptu suo non re- quirat ter- minum à quo.* Circa secundum: terminus motus duplex est, à quo, & ad quem. Circa quæ notandum, licet actio ex conceptu suo, non requirat terminum à quo, sive po- sitivum, sive privativum, ut constat si Deus ab æter- no produceret rem aliquam, & in productione Ver- bi æterni, ubi nec fuit privatio termini, nec actio- nis, ex quâ terminus ille, & actio proefferit: licet, inquam, hoc ita sit, actio tamen sub conceptu mo-

tus requirit terminum à quo, qui ad positionem rei per motum productæ destruat, ut dum ex calido fit frigidum, ex albo nigrum &c. ac proinde debet inter hos terminos esse naturalis oppositio: unde al- bedo non est terminus à quo dulcedinis, nec dici- mus, ex albo fit dulce, licet quod erat solum album, postea fiat dulce, non enim necessariò destruitur al- bedo ad positionem dulcedinis.

Aliqui motum & mutationem confundunt, qui consequenter dicunt ad motum non requiri nisi ter- minum à quo privativum, ut cum aer ex tenebroso fit lucidus, anima ex non vidente, intelligente, aman- te, videns, amans, intelligens, &c. Alij tamen & me- lius, ad motum requirunt duplicem mutationem, positivam alteram, alteram privativam, & conse- quenter terminum duplicem à quo, privativum alte- rum, alterum positivum. Sic cum lignum ex frigido fit calidum, illic definit & frigus, & negatio calo- ris, sicque est duplex terminus à quo. Unde motus propriissimè dictus est inter qualitates contrarias, in quarum productione & corruptione subiectum mu- tatur duplici mutatione intrinsecâ, nempe & per ca- rentiam formæ quam amittit, & per formam quam de novo acquirit. Alij demum volunt mutationem censendam esse quando forma inducitur in subiec- tum instantaneè, motum verò quando inducitur forma successivè, ut cum calor paulatim producit in ligno, vel manu. Sed est quæstio de nomine.

Motus ergo ut motus involvit in se denominatio- nem extrinsecam, eadem siquidem numero actio po- tuisset existere, & non esse motus, ut de facto con- tingit in conservatione, quæ eadem numero perseve- rans in secundo instante & in primo, in secundo ta- men non est motus. Deinde, si non esset frigus in ligno instante præcedente antequam in illud ignis in- ducit calorem, adhuc posset eadem numero actio in illud induci calor, quâ modò inducitur & tamen actio illa non esset motus propriè dictus.

Dicitur

*Sub concep- tu tamen motus, actio requirit terminum à quo.*

IV. *Quomodo differant motus, & mutatio.*

*Motus in- cludit du- plicem mu- tationem.*

V. *Motus est denomina- tio partim extrinseca.*

**VI.** Dicitur ergo actio motus seu mutatio, quando immediatè antè præcessit in subiecto carentia formæ, vel saltem actionis, secus quando non præcessit. Ubi notandum, non sufficere ad motum, præcessisse carentiam illam quomodocunque, (nam carentiæ omnes erant ab æterno) sed debet subiectum uno saltem instante habuisse illam carentiam, seu extitisse uno instante sine formâ. Unde in primâ rerum conditione, non fiebant res per motum, seu mutationem, quia licet carentiæ fuerint antè, imò ab æterno, ut dixi, subiecta tamen non existerant, vel unico instante sine formis, seu cum carentiâ formarum. Et hæc de termino a quo motus.

**VII.** Alius terminus motus est terminus ad quem, illud scilicet, quod per motum producit. Sicut enim terminus a quo motus est illud, quod ad illius positionem destruitur, seu definit, ita terminus ad quem est illud, quod per motum ponitur, vel producit. Hic terminus duplex similiter est, qui, & quo. Terminus qui est compositum ipsum: terminus quo est unio. Licet enim compositum sit id quod producit, unio tamen est id quo tanquam termino actionis constituitur. Actio tandem est id, quo tanquam ratione generandi producit homo. Terminus itaque formalis productus in generatione compositi est unio: nam in generatione hominis nihil aliud producit directè & immediatè, præter unionem, quæ est forma compositi, ut compositum est, datque actioni denominationem generativæ, quæ etiam ab unione producta dicitur unio: licet terminus formalis unitus possit dici anima.

**VIII.** Quæres utrum Angelus dici possit terminus formalis creationis? Quæstio tantum est de modo loquendi. Dico itaque, licet terminus formalis propriè dicatur tantum respectu compositi, utpote quod habet formam, quia tamen omnis terminus immediatus dat speciem actioni, ideò, licet non ita propriè, dici poterit Angelus terminus formalis actionis creativæ.

## SECTIO II.

### In quo subiecto recipiatur Actio.

**I.** Sermo est de subiecto sustentationis, & de actione seductiva, seu passione, creatio enim subiectum sustentationis non habet, cum sit productio rei independentè ab omni subiecto.

**II.** Quoad subiectum ergo motus seu actionis, (supponimus pro præsentia, actionem, & motum distinguere ab agente & termino) dicunt aliqui actionem, etiam transeuntem, subiectari in agente. Sed contra primò, ipsum nomen actionis transeuntis destruit hanc sententiam, in hoc enim differt actio transiens ab immanente, quod hæc subiectetur in eodem principio, à quo procedit, non illa: in hac autem sententia omnes actiones essent immanentes. Licet verò actiones immanentes sint in agente, non tamen in eo sunt ut agens est, sed ut patiens. Contra secundò, hinc sequeretur Deum mutari physicè, & intrinsecè, si in se recipiat actionem, quæ producit ignem, lucem, calorem, &c. Contra tertio, actio & passio non distinguuntur, ut postea videbimus, sed passio non est in agente, ergo nec actio. Contra quarto, sol non perficitur intrinsecè per calefactionem, seu actionem quæ producit calorem, vel argentum, aurum, & metallum in visceribus terræ, ergo actionem in se non recipit.

**III.** Dices; actio est relatio, quæ causa refertur & respicit effectum, ergo debet esse intrinseca agenti, cum relatio sit intrinseca fundamento. Resp. actionem esse quidem aliquo modo relationem, & respec-

tum agentis ad terminum, modo tamen proportionato: cum ergo agens ut agens non sit patiens, non debet in se recipere suam actionem. Actio itaque eo modo est exercitium, & relatio causæ, quæ natura causæ postulat; si causa sit extrinseca, relatio est extrinseca, si intrinseca, intrinseca &c.

Alij ergo asserunt, actionem non esse in agente, sed in termino, ut in subiecto sustentationis, ita ut terminus, ignis B v.g. productus, sit subiectum sustentationis, & verè causa materialis actionis, per quam producit, & physicè in eam influat. Sed contra, ergo ignis ille B erit causa sui, patet, non alio modo ignis A est causa ignis B, quàm efficiendo causalitatem seu actionem qua fit ignis B: ergo si ignis B in aliquo genere causæ producat suam causalitatem, & actionem, qua fit, erit in eodem genere causa sui. Conf. hinc sequeretur, terminum esse naturâ priorem se, prius operari quàm esse, & alia huiusmodi.

Dicendum itaque, actionem & motum, licet intrinsecè afficiant terminum, subiectari tamen solum in subiecto termini, seu in eo subiecto in quo subiectatur ipse terminus, cuius est actio, seu ad quem terminatur. Actio v.g. productiva caloris subiectatur in eodem subiecto, in quo subiectatur calor, nempe in materiâ, vel quantitate ligni, actio productiva lucis subiectatur in aëre, & sic de aliis: ita Sua. d. 48. Met. l. 4. n. 13. Hurt. d. 11. Phy. l. 7. n. 57. Oviedo Cont. 12. Phy. p. 3. n. 7. & alij. Actio ergo est intrinseca & termino, & subiecto termini, sed diverso modo, est intrinseca termino ut termino, seu ut subiecto intimæ affectionis, intrinseca verò subiecto termini, seu mobili, ut subiecto sustentationis, quod solum propriè est subiectum.

Probatur conclusio: nihil enim aliud est in quo subiectetur actio, ergo subiectari debet in subiecto termini. Antecedens jam supra ostensum est, nam nec in agente subiectari potest, nec in termino, ergo. Conf. nihil sequitur incommodi ex eo quod subiectetur actio in subiecto termini, ergo in eo poterit subiectari. Conf. secundò, causa materialis debet esse naturâ prior effectu, & consequenter prior causalitate effectus, sed nihil est quod possit esse prius naturâ actione eductivâ, seu causalitate effectus, nisi vel agens, vel subiectum termini; agens autem non est subiectum actionis eductivæ, & causa materialis illius, ut probatum est, ergo passum, seu mobile esse debet illius subiectum. Conf. tertio, actio & passio identificantur, sed passio est in mobili, ut in subiecto sustentationis, ut postea ostendetur, ergo & actio.

Dices; si actio est in passio seu mobili, denominabit illud agens. Nego antecedens, nihil enim frequentius, quàm ut varietur denominatio, & effectus formalis pro diversâ capacitate subiecti, licet forma sit eadem. Sic eadem unio denominat materiam informatam, & formam informantem, eadem visio oculum videntem, & parietem visum, & sexcenta huiusmodi. Cujus ratio est, quia effectus formalis non est sola forma, sed subiectum forma & unio, unde tam potest variari effectus formalis per variationem subiecti, quàm formæ: sicque diversus esse potest, licet forma sit eadem.

## SECTIO III.

### Quomodo motus distinguatur ab Actione & Passione, & Actio & Passio inter se.

Quoad primum, certum est motum non esse de conceptu actionis & passionis, tum quia crea-

Ad motum  
requiritur,  
ut subiectum  
uno saltem  
instante ex-  
istat sine  
forma.

Terminus  
ad quem  
motus est  
duplex, qui  
& quo.

Angelus  
dici potest  
terminus  
formalis  
creationis.

Sermo est de  
subiecto su-  
stentatio-  
nis.

Dicunt ali-  
qui actionem  
subiectari  
in agente.

Contra hoc  
est, omnes  
enim actio-  
nes essent  
immanentes  
& Deus  
mutaretur  
physicè.

Actio est  
relatio ag-  
ti propor-  
tionata.

IV.  
Alij dicunt  
actionem  
subiectari  
in termino.  
Sed contra:  
hinc enim  
sequeretur  
ignem esse  
causam sui.

V.  
Actio eductiva, licet  
adhæreat  
termino,  
subiectatur  
tamen in  
subiecto ter-  
mini.

VI.  
Ratio con-  
clusionis est,  
quia nihil  
aliud est, d  
quo susten-  
tari possit  
actio, præter  
subiectum  
termini.

VII.  
Eadem for-  
ma diversis  
subiectis dat  
diversum  
effectum  
formalem;  
& quæ.

Motus non est actio, & non motus: item in conservatione reperitur actio & passio sine motu: præterea in primâ rerum conditione, quando simul cum subiecto producebatur forma, & ex illo educabatur, subiectum nec ad unum instans existeret sine formâ, & consequenter non erat motus propriè dictus, ut sect. I. ostensum est, ergo motus propriè dictus distinguitur ab actione & passione.

II. Actio tamen & Passio sunt de conceptu motus. Patet, nam movere est formaliter agere, & moveri est formaliter pati, ergo Actio & Passio sunt de conceptu motus; motus enim est id per quod agens seu movens movetur, & mobile movetur. Motus verò propriè talis supra conceptum Actionis & Passionis connotat carentiam formæ vel actionis in subiecto, in instante, vel tempore precedente inductionem formæ, ut supra dixi, sicque motus distinguitur ab actione & passione sicut includens ab inclusio.

III. Quoad secundum de distinctione Actionis à Passione. Aristoteles l. 3. t. 19. absolutè asserit Actionem, & Passionem idem esse realiter, differre tamen ratione, ut viam acclivem & declivem, viam scilicet Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Actionem ergo esse realiter eandem cum Passione probatur, nam alioqui Passio vel produceretur per actionem ab ipsâ distinctam & ad eam terminatam, vel non; non secundum, sic enim daretur entitas in rerum naturâ, quæ nec esset actio, nec haberet actionem ad se terminatam. Non etiam primum, nam vel illa actio educitur ex potentiâ alicujus subiecti, & consequenter est Passio, sicque habemus intentum, nempe Actionem & Passionem non distingui realiter; vel non educitur, & est creatio, sicque res naturales in omni actione creant. Deinde, Passio cum sit essentialis dependentia à subiecto, non potest creari, ergo non potest ad eam terminari actio creativa. Præterea Passio non est terminus, sed via subiecti ad terminum, ergo non potest ad illâ terminari Actio.

IV. Secundò probatur, quando ignis educit formam ignis est materiâ ligni, educitio illa est Passio: patet, nam est dependentia formæ ignis à subiecto, ergo hinc Actio & Passio identificantur. Conf. si illa productio non sit passio, & dependentia formæ ignis à subiecto, ergo est independentia, ergo creatio, ergo denominat terminum independentem à subiecto, sicut modò actio quâ Deus conservat quantitatem panis in Eucharistiâ sine omni subiecto.

V. Nec obijciat quispiam distinctionem prædicamentorum: hæc enim omnia non necessariò distinguuntur realiter. Unde multi, ne quidem substantiam & quantitatem distingui à se invicem volunt realiter. Nec etiam dicat eandem casualitatem non posse provenire à diversis causis; id enim constat esse falsum, si causæ sint partiales, præsertim si ab unâ proveniat intrinsecè, ab aliâ extrinsecè, ut constat in visione procedente à potentiâ & specie, & in alijs infinitis.

## SECTIO IV.

### Divisio & specificatio Motus & Actionis.

I. Variis modis accipitur Motus; alius enim est Motus terminatus ad substantiam, & peculiariter vocatur generatio: cui opponitur corruptio. Motus ad quantitatem vocatur accrescio, actio scilicet illa, quâ nova acquiritur, & adjungitur quantitas priori. Motus ad qualitatem vocatur alteratio, quia scilicet aliter se habet subiectum per qualitatem, quam antea, sicque alteratur. Motus ad Vbi vocatur motus localis, & latio, per quam scilicet fertur corpus ab uno loco in alium. Ad relationem non datur

Motus, nisi per accidens, ut ex Aristotele docent communiter Philosophi.

Dividitur generatim Motus (non est sermo de locali) in successivum, & instantaneum, licet solus successivus nomen Motus propriè obtineat, instantaneus enim vocatur potius mutatio quam Motus, ut supra notavimus. Motus successivus vel fit per successionem continuam, ut cum ignis actione continuatâ, per quadrantem e.g. sine ullâ intermissione comburit lignum, & in eo successivè producit formam ignis, vel per discretionem, & per morulas quasdam interruptas, & identidem quasi interfusas, ut si in instante A. ignis producat unam partem ignis, & motus, seu actionis, in instante C. aliam, aliam in instante E, & sic interruptè agat, & non per successionem perpetuam continuando actionem.

Terminus tamen successivè per motum acquisitus, imò & motus ipse productus successivè, manere potest, & de facto manet postea totus simul: per accidens enim est quod calor ille producatur successivè. Hoc tamen non contingit in Motu locali saltem corporum; cujus ratio est, quia scilicet prout res mutat locum, nova semper & nova ubicatio producit, & prior necessariò deperditur: at verò in calore acquisito successivè, non necessariò perit prior gradus acquisito secundo, sed manet simul cum eo naturaliter, & per accidens est quod acquiratur successivè, nempe ratione contrarij. Dixi, saltem in motu locali corporum: si enim Angelus existens in palmo spatij, manens priori loco extendat se versus Orientem ex.g. nil obstat quo minus in fine motus simul cum priori palmo ubicationis, retineat omnes reliquas, jam per motum successivè acquisitas.

Quoad specificationem Motus, notandû, unamquamque rem formaliter, & intrinsecè specificari à suâ entitate, ut homo ab animâ rationali, & prædicatis suis intrinsecis: hic autem non querimus intrinsecè hæc specificativa motus, sed extrinsecè, seu illa, à quibus tanquam terminis, relatio transcendentalis specificationem suam desumit, non formaliter & intrinsecè, sed arguitivè & consequenter, sicut visio specificatur ab objecto, materia prima à formis, relatio in opinione S. Thomæ, & Aristotelis, à fundamento & termino, &c. Hic ergo inquirimus utrum ex diversitate termini, agentis & passi arguatur distinctio specifica actionis, ita ut arguere possimus tanquam à signo, tendunt duæ actiones ad terminos vel agentia specie distincta, ergo distinguuntur specie actiones ipsæ.

Certum in primis est, diversum modum tendendi sufficere ad specificam diversitatem actionum, licet sint ab eodem agente, & ad eundem terminum, ut actio quâ Deus crearet formam materialem ignis, distinguitur specie ab actione quâ Deus formam illam eandem produceret per generationem: sicut specie ex modo tendendi differunt simplex apprehensio & judicium, licet & ab eodem intellectu sint, & de eodem objecto. Sed hæc distinctio actionis non spectat ad præsentem questionem, hic enim non inquirimus specificativè intrinsecè, sed extrinsecè.

Dico itaque primò: sola distinctio specifica terminorum sufficit ad distinguendum specie diversas actiones, quæ ad illas terminantur. Probat, sicut visio albedinis & nigredinis distinguuntur specie, quia objecta, seu termini sunt specie distincti, ita & actiones productivæ terminorum specie distinctorum, specie similiter distinguuntur: nec enim est major ratio cur actiones intentionales specificationem à suis terminis delumant, quam physica à suis. Imò multo minor est ratio, cum actiones intentionales

II.

Motus  
physicus  
continuus  
& discretus.

III.

Terminus  
potest, & de facto manet postea totus simul: per accidens enim est quod calor ille producatur successivè. Hoc tamen non contingit in Motu locali saltem corporum; cujus ratio est, quia scilicet prout res mutat locum, nova semper & nova ubicatio producit, & prior necessariò deperditur: at verò in calore acquisito successivè, non necessariò perit prior gradus acquisito secundo, sed manet simul cum eo naturaliter, & per accidens est quod acquiratur successivè, nempe ratione contrarij. Dixi, saltem in motu locali corporum: si enim Angelus existens in palmo spatij, manens priori loco extendat se versus Orientem ex.g. nil obstat quo minus in fine motus simul cum priori palmo ubicationis, retineat omnes reliquas, jam per motum successivè acquisitas.

Secus contingit in motu locali corporum.

IV.

Duplex est: ut homo ab animâ rationali, & prædicatis suis intrinsecis: hic autem non querimus intrinsecè hæc specificativa motus, sed extrinsecè, seu illa, à quibus tanquam terminis, relatio transcendentalis specificationem suam desumit, non formaliter & intrinsecè, sed arguitivè & consequenter, sicut visio specificatur ab objecto, materia prima à formis, relatio in opinione S. Thomæ, & Aristotelis, à fundamento & termino, &c. Hic ergo inquirimus utrum ex diversitate termini, agentis & passi arguatur distinctio specifica actionis, ita ut arguere possimus tanquam à signo, tendunt duæ actiones ad terminos vel agentia specie distincta, ergo distinguuntur specie actiones ipsæ.

V.

Diversi sunt modus tendendi redit actionem specie diversam.

VI.

Distinctio specifica terminorum reddit actiones specie distinctas.

tionales extrinsecè solum terminentur ad suos terminos, physica verò intrinsecè efficiant suos. Conf. non est minor ratio cur actiones specificentur à terminis, quam uniones ab extremis, cum actiones sint etiam uniones sui ad suos terminos. Conf. secundò, tota essentia actionum est ut sint via ad terminos, & consequenter habent totam suam essentiam in ordine ad suos terminos, ergo sicut esse habent in ordine ad illos, ita & specificationem.

**VII.** Hinc tamen non sequitur quin sicut eadem numero visio potest terminari ad albedinem simul & nigredinem, ut in Logica dixi, & eadem unio ad extrema specie diversa, materiam scilicet & formam, sic & eadem numero actio terminari similiter possit ad diversos effectus specie distinctos. Quod ergo dicimus, est, actionem productivam caloris tantum, esse specie distinctam ab actione productiva frigoris, vel dulcedinis tantum; sicut visio albedinis tantum, est specie diversa à visione nigredinis tantum.

**VIII.** Dico secundò: diversitas specifica solius subjecti sufficit ad arguendum diversitatem specificam actionum: actio v.g. generativa, quæ Deus educit gratiam è potentiâ animæ, est specie diversa ab actione quæ educit gratiam è potentiâ Angelis. Ratio est, quia non minus intrinsecè & essentialiter respicit actio educitiva, seu passio subjectum, quam unio extrema, vel quam eadem actio terminum, & visio objectum; sed unio, actio, & visio specificantur ab extremis, termino, & objecto, ergo & actio seu passio specificabitur à subjecto. Major probatur, actio quippe non minus intrinsecè unit se passio, quam termino, estque intima & intrinseca illius affectio, ergo specie distinguetur ad distinctionem specificam passio, seu subjecti.

**IX.** Dico tertio: sola etiam diversitas agentium totalium sufficit ad variandam specie actionem. Est contra P. Hurt. d. II. Phys. l. 8. n. 65. & alios nonnullos. Probatur, non minus essentialiter ordinem dicit actio ad agens, quam vel ad subjectum, vel ad terminum: ergo non minus specificationem ab agente sumet, quam à subjecto, vel termino. Dixi, agentium totalium, non enim nego diversas causas specie ad eandem numero actionem posse concurrere, ut de facto sol & ignis producit ignem, & Deus cum omni re creatà ad effectus quolibet concurrat.

**X.** Dico quarto: multiplicentur numero actiones pro multiplicatione numerica agentis, subjecti, vel termini. Ratio est quia actiones sunt modi, sed non potest modus unius rei esse modus alterius, ergo quot sunt termini distincti, agentia, vel subjecta, tot esse debent actiones saltem numero distinctæ. Nec tamen necessariò multiplicentur numero vel à loco, vel tempore, cum eadem actio diversis locis, ac temporibus, & primò produci possit, & conservari. Nec etiam specificantur actiones à termino à quo, non enim apparet cur eadem numero actio non potuisset calorem vel ignem in materiâ ligni producere, licet nullum in eâ frigus, aut forma ligni, vel carentia caloris, aut formæ ignis præcessisset: per accidens enim est actioni ut actio est, quod in materiâ præcesserit, vel positivus aliquis terminus à quo, vel privativus. Per accidens, inquam, est actioni ut actioni, nam ut actio est mutatio & motus, requirit privationem in subjecto præcessisse, ut supra ostendimus sect. I. Conceptus autem mutationis, & motus est actioni extrinsecus.

## SECTIO V.

*Aliaquadam de Motu, & Quiete; & præcipue utrum moveri idem possit motibus contrariis.*

**E**X dictis inferitur primò, in omni motu ab uno positivo contrario ad aliud positivum, duplicem intervenire mutationem, positivam alteram, quando scilicet inducitur, & destruitur terminus positivus, ut dum inducitur calor, & expellitur frigus, alteram privativam, quando nimirum expellitur una privatio, nempe caloris, & inducitur alia privatio, nempe frigoris. Quando autem non præexistit terminus positivus in subjecto, est unus tantum motus, seu unica mutatio, nempe à privativo in positivum.

**II.** Inferitur secundò, non posse idem naturaliter moveri simul motibus contrariis ad loca adæquate diversa: adæquate, inquam, diversa, nam nil vetat quo minus eadem res indivisibilis moveri simul possit motibus contrariis ad diversa loca inadæquate distincta, ut dum quis simul attollit unam manum, & deprimit alteram, anima simul movetur sursum & deorsum: sicut etiam cum Angelus existens in puncto, vel palmo spatij, simul extendit se undequaque ad omnes partes suæ sphaeræ; in his enim casibus tam animam quam Angelus movetur simul motibus contrariis ad loca inadæquate distincta, id est, non discontinua.

**III.** Probatur illatum: si idem simul moveretur motibus contrariis, esset simul in diversis locis adæquatis, & discontinuis naturaliter. Patet sequela, si enim idem eodem tempore quo Petrus movet se versus Orientem, Paulus illum moveret versus Occidentem, Petrus simul & semel accederet versus Orientem & Occidentem, ergo simul acquireret locum versus utramque partem, ergo simul esset in duobus locis discontinuis naturaliter, quod tamen fieri non posse ostensum est supra d. 35. l. 1. & 2. Conf. peculiariter pro rebus corporeis, sequeretur siquidem, duas partes quantitatis penetrari secum naturaliter. Probatur, nam si Petrus simul moveatur versus Orientem & Occidentem lineâ rectâ, frons, & occiput, pectus & humeri secum penetrarentur, nam si lineâ rectâ moveretur versus utramque plagam, singule partes debent lineâ rectâ per se transire, ut est manifestum, & consequenter invicem naturaliter penetrabuntur. Quæ tam clara videntur, ut non sit opus quidquam aliud adungere.

**IV.** Contra hoc tamen multæ obijci possunt, & solent experientia, ut de nauta in navi, qui versus septentrionem incedit, dum navis fertur versus meridiem: de formicâ, vel muscâ in rotâ, de motu cælorum, ubi sol e.g. à primo mobili movetur motu raptus ab Oriente in Occidentem, & simul motu proprio à suâ intelligentiâ impresso movetur ab Occidente in Orientem. Ad hæc tamen omnia, Respondeo eodem modo moveri, solem scilicet unico tantum motu ferri, nam impetus impressus versus Orientem e.g. vel est major, vel minor, vel æqualis cum impetu impresso versus Occidentem; si sit major, ergo res per illū fertur simpliciter, & acquirit locum versus Orientem, versus Occidentem autem non movetur omnino, licet motus ille versus Orientem nonnihil retardetur ex resistantiâ alterius agentis. Si impetus Orientem versus sit minor, fertur simpliciter versus Occidentem; si æqualis sit uterque impetus, non movetur omnino, sed manet in eodem loco, quo prius. Licet autem nauta, muscâ, & formicâ simpli-

*Eadem numero actio terminari potest ad terminos specie distinctos.*

*Diversitas specifica subjecti sufficit ad arguendum diversitatem specificam actionum.*

*Diversitas specifica agentium totalium reddit actiones specie diversas.*

*Unde sumatur distinctio numerica actionum.*

*Terminus à quo non variat actionem.*

*I. Duplex in motu mutatio. Mutatio positiva, & privativa.*

*II. Nihil movetur simul potest naturaliter motibus contrariis ad loca adæquate diversa.*

*III. Sequetur quod si idem eodem tempore in duobus locis discontinuis.*

*Imò & duo quantæ inter se naturaliter penetrari.*

*IV. Soluntur objectiones de nauta in navi, formicâ in rotâ, & sole in cælo.*

SECTIO VI.

An motus, seu actio generativa distinguatur ab agente, subjecto, & termino.

**A**ctio, inquam, generativa, seu eductiva terminatur in potentia subjecti: creatio enim distinguatur necne ab agente & termino, videbimus dissequente.

**I.** Prima sententia docet actionem eductivam non esse distinctam ab agente, subjecto, & termino: ita plerique Nominales, Ockam in 1. d. 30. q. 2. Greg. in 1. d. 28. q. 2. ad 13. Gab. in 1. p. 30. q. 4. ar. 1. concl. 3. Sotus 3. Phys. q. 2. Tol. 3. Phys. q. 3. art. 2. Valent. 1. p. d. 3. q. 2. p. 1. §. Si autem creatio, & alij nonnulli.

**II.** Secunda sententia asserit actionem eductivam modaliter saltem distingui ab agente, subjecto, & termino: ita S. Thomas 1. p. q. 45. ar. 3. in arg. sed contra. Suar. d. 40. Met. l. 2. n. 5. Rub. 3. Phys. l. 4. n. 26. & 30. Murcia 2. Phys. d. 4. q. 12. §. Hoc supposito. Durand. in 3. d. 5. q. 2. n. 4. Hurt. d. 11. Phys. l. 2. n. 7. Ariaga d. 9. Phys. l. 3. n. 18. Oviedo cont. 12. Phys. p. 1. n. 9. estque communis ferè hodie sententia.

**III.** Conclusio, actio eductiva necessariò distinguitur ab agente, subjecto, & termino: ita auctores secundæ sententiæ. Probatur communi, & in similibus omnibus efficaci argumento: possunt existere a parte rei entitas agentis, etiam approximata, entitas passivæ, & entitas effectus, ut ignis A, materia A, & ignis B, & tamen ignis B non dependere, vel produci ab igne A; ergo ignem B produci ab igne A est aliquid aliud, quam hæc tria existere, etiam approximata, ergo superaddi debet aliquid aliud. Conf. videmus indies effectus mutare causas, ut calor qui primò producebatur à sole, postea conservatur ab igne. Vel Deo, ergo effectus ipse non est formalis dependentia à tali determinatâ causâ, cum existere possit, & ab illâ non dependere, ergo effectus non est actualis dependentia à tali causâ, sic enim non posset ab ea non dependere.

**IV.** Secundò probatur: sint applicata æqualiter duo agentia, duo ignes v.g. sufficientes ad producendum eundem effectum, qui sit intra sphaeram utriusque, effectus tamen producat vel conservetur ab altero tantum, quod facilius percipitur si alter ignis applicetur post productum jam effectum à priori igne: Angelus intuens effectum, videbit à quo agente pendeat, cum hæc sit veritas naturalis, naturaliter cognoscibilis, & non excedens virtutem & perfectionem Angelicam, ergo videt aliquid in effectu, per quod pendeat ab una causâ potius quam aliâ: Hoc ergo debet esse actio. Conf. in casu posito velit Deus, ut ignis productus, vel conservatus ab igne A, postea pendeat & conservetur ab igne B, manente adhuc illic igne A, quæro, quid videbit Angelus diversum? certè nihil præter novam dependentiam, & causalitatem, cum ambæ entitates, ut suppono, manent eadem, & eodem modo approximata.

**V.** Dices; videbit ignem illum jam produci, vel conservari ad præsentiam ignis B. Contrâ, produci ad præsentiam ignis B, non est idem ac dependere ab igne B, cum produci possit in illius præsentia, & tamen ab illo non dependere. Conf. secundò, potest Deus efficere ut eadem res producat per duplicem actionem totalem, seu à duobus agentibus ut à causis totalibus: quid tunc diversum efficit Deus, ac quando dependet res illa ab iisdem causis tanquam ab uno solum agente totali, ita scilicet ut mutuo attemperant virtutem? certè attemperatio virtutis in

I.

II.

III.

IV.

V.

VI.

Dum pedes nautæ in navi moventur, corpus nautæ movetur.

V. Ex duplici impetu sit motus, quoniam motus duplici.

VI. Item est dum homo tendens versus Orientem, brachium protendit versus Septentrionem, aut Meridiem.

VII. Satisfit Aristoteli, circa motus contrarios.

VIII. Motus ut successivus produci nequit in instante.

IX. Quies duplex, positiva, & negativa.

actu secundo intelligi nequit sine aliqua actione.

## VII.

*Essi rem, & non dependere ab alia causa, est dependere ab hac argumēto, non formaliter.*

*Res hac declaratur exemplo.*

## VIII.

*Ostenditur actio distincta ex successiva varietate in rerum conservatione.*

## IX.

*Actio educitiva non est voluntas Dei.*

## X.

*Idem ultimum ostenditur.*

*Voluntas Dei est actio causalis, non formalis.*

## XI.

*Angelus non posset videre effectus naturales.*

Dices; produci ignem ab hac causa, est ignem existere, & non dependere ab alia causa. Contra primò, dependere seu produci ab hac causa est conceptus positivus. Contra secundò, non dependere ab alia causa, cum sit negatio, debet esse alicujus positivi negatio, ergo dependentia hæc, cujus illa est negatio, est aliquid positivum. Resp. itaque, arguitur quidem bene inferri ignem existentem, & ab alia causa non dependentem, dependere ab hac, cum existere, nisi à causa aliqua productus, non possit. Non tamē hinc sequitur, produci ignem A ab igne B, esse ignem A non dependere ab alia causa. Sicut si Petrus nec sit Paulus, nec Joannes, nec aliis quippiam ex hominibus, est Petrus, non tamen propterea recte quis intulerit, esse Petrum formaliter esse conceptum negativum, nec aliud dicere, quam eum non esse Paulum. Joannem &c.

Tertiò probatur: eundem effectum, formam ignis v. g. potest Deus conservare vel simul, vel successive per concursum generativum & creativum, ergo quando hoc facit, quæro quid diversum facit in uno casu, & in alio? Conf. quando Deus suspendit concursum generativum, vult suspensionem alicujus concursus, sed suspensio illa est negatio, ergo vult negationem alicujus concursus, ergo ille concursus erat aliquid præter subiectum, agens, & terminum, nam vult hæc omnia adhuc ut suppono, ergo hæc negatio est negatio alicujus alterius, nempe actionis.

Dices; actio educitiva est voluntas Dei quæ vult ignem B produci ab igne A, & educi è tali subiecto. Contra, potest Deus velle ignem A, ignem B, & tale subiectum, etiam simul & approximata, & tamen non velle ut ignis B producat ab igne A, & educatur ex illo subiecto; imò potest velle contrarium, nempe, ut creetur, vel educatur ex potentia alterius subiecti, & ab alio agente producat, ergo voluntas illa vult aliquid novi ex parte objecti, cum habeat aliud objectum quam hæc posterior, ut constat. Illud ergo aliud quærimus quid tandem sit?

Quod eodem modo urget, quando Deus vult ut duo agentia applicata jam agant ut duplex agens totale, jam ut unum, jam ut omnino non agant, & alia, quæ posuimus superius; quæ omnia sunt quidem effectus diversæ voluntatis Divinæ causaliter, sed non formaliter, ita scilicet ut voluntas Divina sit ipsa ratio formalis per quam fiant, sed solum diversa ratio causalis, seu effectiva. Voluntas enim diversa debet aliquid diversum efficere ex parte effectus, alioqui dicere eodem modo quis posset, parietem esse album, aut nigrum, nihil esse aliud, quam diversam virtutalem voluntatem Dei.

Conf. Angelus, ut supra dixi, potest videre effectus naturales, & à quo agente effectus talis producatur, quod tamen videre non posset, si productio esset voluntas Dei, hanc enim naturaliter videre non potest, cum sit ipse Deus.

## SECTIO VII.

*Argumenta contententia Actionem non distinguui ab Agente, subiecto, & termino.*

## I.

*Actio est ipsa dependentia, sicut alia non indiget.*

Objicies primò: Actio est etiam effectus causæ, ergo Actio deberet habere aliquid per quod producatur, & dependeat à suâ causâ. Nego consequentiam, Actio enim per se essentialiter pendet ab hac causâ determinatâ, & non est indifferens ut pro-

cedat ab aliâ; res autem absolute non sunt hoc modo determinatæ, nam calor B ex. g. est indifferens ut producatur ab igne, luce, vel sole, aut à calore A, vel à calore C, ac proinde, ut producatur & dependeat ab hac potius causâ, quam aliâ, eget aliquo alio per quod determinetur ad dependendum ab hac potius causâ, quam aliâ, præsertim cum successive dependere & conservari possit à diversis.

Objicies secundò: non possunt hoc agens, hic effectus, & hoc passum esse approximata, quin hic effectus ab ipsis dependeat, ergo non est opus assignare aliquam aliam dependentiam, sed dependebit per se. Nego antecedens, nam licet inter se sint approximata hæc tria, adhuc potest Deus effectum illum conservare per concursum creativum. Sicut licet sol in instante A producat lucem in aëre concursu generativo, potest tamen Deus in instante B eandem lucem conservare concursu creativo, & efficere ut sol quantuncunque præsens, & applicatus non concurrat, tunc ergo inquiri quid velit Deus, & quid sit objectum hujus voluntatis, *volo ut sol jam non concurrat?* non est *volo ut sol non sit, nec ut non sit applicatus*, nam est adhuc applicatus, ut supponitur, cujus ergo rei negationem vult, omnia enim eodem modo manent, præter actionem, ergo vult negationem actionis, ergo erat antea actio, cujus negationem jam vult Deus.

Objicies tertio: si ignis applicetur stupæ, vel sol aëri, non possunt non producere, hic lucem, ille calorem, & ignem, ergo non eget determinativo, cum sint ex naturâ suâ determinati, ergo non est necessaria Actio, cum Actio propterea solum ponatur ut determinetur effectus ad dependendum ab hac potius causâ, quam ab aliâ, hic autem non potest effectus non dependere, seu non procedere ab hac causâ, cum sit causa necessaria. Resp. primò, saltem hoc argumentum non probare quin in causis liberis dari adhuc debeat actio distincta, cum sint indifferentes, & consequenter indeterminatæ ad agendum. Resp. secundò, de causis necessariis nego similiter consequentiam. Ad probationem dico, etiam applicato hoc agente huic passio, posse tamen effectum non dependere ab hoc agente, potest enim Deus impedire, & velle vel ut omnino non producatur, vel ut creetur lux ex. g. vel calor, sicque ut non producatur ab igne aut sole.

Dices; connotat præterea voluntatem Dei hic & nunc applicantis suam Omnipotentiam, Contra, hæc voluntas Dei, ut sæpe dixi, sine actione distincta, in quam tendat, intelligi non potest, debet enim esse voluntas alicujus alterius, præterquam agentis, & passi inter se applicatorum effectus, & Omnipotentia Dei; hæc enim omnia velle potest Deus, & tamen nolle ut effectus ille producatur & dependeat ab illo agente, & subiecto, ut ostensum est. Unde ad id quod dicitur causam necessariam esse determinatam ex se ad agendum, ergo non eget alio determinativo, distinguo antecedens, est determinata in actu primo, id est, necessariò debet agere, & elicere actionem, ac producere effectum, concedo antecedens; est determinata in actu secundo, id est, est ipsa actio, nego. Sicut apertis oculis, & proposito debite objecto, non potest potentia visiva non videre, sed est determinata ad videndum, non tamen etiam juxta adversarios, propterea potest videre per se, & sine visione distincta. Contra, quidni æquè poterit potentia vitalis esse viva, ac potentia non vitalis mortua determinatio sui?

So.

V. Solùm ergo ex hac necessitate in actu primo habetur, debere, nisi aliquod impedimentum interveniat, necessario sequi determinationem in actu secundo: & hæc est differentia inter causam necessariam, & liberam, quòd hæc nec in actu primo sit necessitata, & determinata ad operandum, sic tamen illa, utpote quæ, quandocunque potest, operatur necessario, & determinat se agendum. Sic etiam, si Deus velit Petrum moveri, & parietem esse album, nec ille potest non moveri, nec hic non esse albus, sed uterque est determinatus in actu primo, ad motum ille, hic ad albedinem, uterque tamen ulterius eget determinativo formali, seu in actu secundo, nempe

formam aliquam, per quam Petrus moveatur, & paries reddatur albus. Unde prior determinatio, seu in actu primo tantum est mediata, remota, & effectiva determinationis formalis, non autem est ipsa formalis determinatio in actu secundo.

Addo nihilominus, licet res, quæ de facto sunt, producantur per actionem distinctam, cum sint indifferentes, ut nunc ab hac causa producantur, nunc ab illa, nullam tamen mihi apparere implicantiā quo minus dentur nonnulli effectus qui immediate, & per se, seu sine actione distincta ab agente aliquo dependeant. Quod multi affirmant de actibus intellectus, & voluntatis.

VI. Non reputant effectus dependentes per se à suis causis.

## DISPUTATIO XLI.

## De Creatione.

## SECTIO PRIMA.

## Sine possibilis Creatio.

I. **P**er Creationem, cum Patribus & Theologis omnibus intelligo productionem rei ex nihilo. Quam Creationis definitionem cum S. Thomas 1. p. q. 54. ar. 1. arg. sed contra. admittunt Theologi omnes, ut testatur Vasq. 1. p. d. 17. i. ca. 1. n. 1. & Tanner. 1. p. d. 6. qu. 1. dub. 1. num. 3. ait esse certam, atque ab omnibus receptam doctrinam. Et præter communem Theologorum consensionem, ita loquitur Beda in cap. 1. Genesis, & Anselm. cap. 8. Monolog. & alij. Qua de re sect. sequente iterum redibit sermo.

II. Negat itaque Aristoteles Creationem esse possibilem, eaque de causa mundum statuit ab æterno, ut esset commune aliquod subjectum, ex quo res omnes educerentur, unde ex nihilo aliquid fieri, seu non ex aliquo subjecto, omnino judicabat impossibile. Subjecti verò hujus nullum principium assignavit, ne si illud ab aliquo productum fuisse diceret, agnosceret creationem.

III. In hoc eodem errore fuisse Platonem, & alios nonnullos ex antiquis refert Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 1. & 8. Epiphani. hæ. 7. Lactant. 1. 2. de orig. errorum, & alij. Hos Philosophos multi secuti sunt ex Hæreticis, ut Hermogenes, Manichæus, & alij. Plato ergo, ne Creationem, seu productionem rei ex nihilo agnosceret, materiam negabat esse factam, sed ex se existentiam semper, & necessario habuisse, fuisseque Deo coæternam: quem, ut dictum est, hac in parte plurimi secuti sunt ex Philosophis antiquis: adeo omnibus animo infederat ex nihilo nihil fieri.

IV. Hanc sententiam ut erroneam, Theologi omnes, & Philosophi sanctorum Patrum auctoritati innixi rejiciunt, & tanquam omnino falsam & improbabilem longissimè à Scholis ablegandam censent.

V. Vereor tamen ne in eam recentior quidam non ita pridem inciderit, qui, licet verbo tenus creationem admittat, re tamen verà eam penitus tollit, imò impossibilem esse affirmat. Ita enim cum Philosophis citatis principio illi ex nihilo nihil fit tenaciter adheret, ut illud aeterna veritatis esse pronuntiet, cujus proinde veritas infringi nullà ratione possit. Prius ergo quam hanc sententiam impugnem.

VI. Notandum cum Philosophis omnibus, propositiones aeternae veritatis esse illas, quarum veritas ejus-

modi est, ut violari nullà ratione possit, nec res per ullam potentiam, etiam Divinam, aliter se habere quam talis propositio affirmet. Hujusmodi propositiones in omnibus fermè scientiis reperiuntur, ut homo est animal: Homo est rationalis: in Physicà, Omne totum est majus sua parte: in metaphysicà, Non potest idem esse simul, & non esse: in Arithmetica, si ab aequalibus aequalia demas, quæ remanent, erunt aequalia: in Geometria, Triangulus rectilineus habet tres angulos aequales duobus rectis: quibus contraria, inquit S. Thomas 1. 2. cont. Gen. c. 25. n. 9. & 10. ne quidem Deus facere potest. Sicut, ut est manifestum, facere nequit ut homo sit, & non sit animal. His circa naturam propositionum aeternae veritatis prænotatis, fit

Conclusio: Certissimum est, hanc propositionem *Ex nihilo nihil fit*, non esse aeternae veritatis. Ratio est clara: propositiones namque aeternae veritatis, ut proxime dictum est, sunt illæ, quarum veritas ita fixa est ac firma, ut nec Deus contrarium illi facere possit quod hæc propositiones enuntiant, sed Deus potest facere contrarium illi quod hæc propositio enuntiat, ergo non est aeterna veritatis. Major & consequentia sunt claræ: minor probatur, Deus de facto hunc mundum produxit ex nihilo, licet enim formas materiales eduxerit ex materiâ, tanquam ex subjecto, materiam tamen ipsam produxit ex nihilo, ut est certissimum, nec inficiari ullus potest, nisi labatur in errorem Philosophorum supra positum, qui, ne, quidquam ex nihilo fieri concederent, materiam Deo coævam posuerunt, & improductam. Conf. Angeli ex nihilo producti sunt: cum enim sint substantiæ totales & completæ, nequeunt ulli subjecto formarum instar uniri, sique ex ejus potentia educi, ut est manifestum.

Secundò probatur ex illo Michab. 2. cap. 7. v. 28. Peto, nate, ut aspicias ad calum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Conf. ex illo Genesis 1. v. 1. In principio creavit Deus calum & terram: hoc est, (ut explicat Beda, & S. Thomas nu. 1. citati, & alij Beda, Patres) ea ex nihilo fecit. Certissimum ergo est, hanc propositionem. *Ex nihilo nihil fit*, non esse aeternae veritatis.

Ratio demum à priori est: quamvis enim actioni creativæ naturæ vires sint impares, nec ex nihilo, seu non concurrente subjecto, facere quidquam possint; Deus tamen, cujus infinita est vis agendi, has naturæ leges infringere potest, & per se concursum subjecti perfectiori modo, seu in genere causæ efficientis supplere, ut de facto facit in speciebus Eu-

VII. Hæc propositio *Ex nihilo nihil fit*, non est aeternae veritatis.

Probat, quia mundus ex nihilo est factus.

Angeli sunt ex nihilo.

VIII. Secundò probatur auctoritate Scripturæ.

IX. Ratio à priori, quare non sit aeterna veritas ex nihilo nihil fieri.